

70.

Sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, Cant. 2. num. 3. Vox hæc est anima sancta; & quomodo hæc, quæ vehementer suum dilectum præsentem optabat, ita ut per vicos, & plateas quæreret, modo non in eius oculis, sed in eius umbra, ac absentia percipit fructus dulces; nam dum desideratum vocat, eius aspectu se carere ostendit; & si præsentia magistri dat fructus dulces, aliquando etiam & absentia illos communicat, rari enim sunt, qui continua magistri præsentia non grauentur. Componatur ergo vnum cum altero, ut nec molestiam pariat præsentia, nec ignauiam absentia; sic & præsentia delectet, ut & abundantia leuamen præbeat. D. Bernard. serm. 48. Merito eius, ait, desiderauerat umbram, de quo & refrigerium esset, & refectionem pariter acceptura.

Absentia Prælati aliquando dulcis.

Bernard.

Luc. 15. n. 6. Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inueni quem meam, quæ perierat. Num. 7. Dico vobis, ira gaudium erit in celo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigēt pœnitentia.

VERSIONES.

Arabic. n. 6. Venit cum ea domū suam, & vocat amicos, &c. ob inuentionem ouis meæ perditæ. Theophylact. Gaudete mecum, quia inueni. Caietanus. Congaudete mihi. Syriacus n. 7. Ira fore gaudium in celo super vno peccatore, qui pœniteat, maius quam supra nonaginta, &c. Clem. Alex. Magnum enim gaudium est apud patrem de vno peccatore seruato. Theoph. Euth. Super vno peccatore respiciente. Arias. Qui non opus habent pœnitentia.

ALTER TEXTVS.

Matth. 18. Et si contigerit, ut inueniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam supra nonaginta nouem, quæ non errauerunt.

EXPOSITIO IV.

71. Veniens domum. A qua discesserat quærens ouem. Domus autem hæc est cælestis patria. In domo patris mei mansiones multe sunt, Ioan. 14. num. 21. ad quem Christus, ut

71.

Ioan. 14.

explicat D. Bonauent. Hugo. In die sua Ascensionis venit; notandum tamen, quod supra desertum vocauit cælum, relinquit nonaginta nouem in deserto. Modo verò domum dicit; vna deficiente oue naturæ humanæ illi veluti præ amore desertum apparebat ipsam cælum; ipsa autem oue inuenta iam est domus, curia, & palatium. Conuocat; magnum gaudium occultari non potest, nec inter se continet pastor, sed aliis communicat. Amicos, & vicinos. Euthymius, Theophylactus, Albertus Magn. Amici, & vicini sunt Angeli cælestes, ut rectè explicant Beda, & Haymon. Dicuntur amici, quia eis reuelat Dominus sua secreta, quod amicitia signum est. Ioan. 15. num. 15. Vos autem dixi amicos. Quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et etiam vicini dicuntur, quia immediatè eius claritate fruuntur. Matth. 18. num. 10. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in celo est. Coniungit amicos, & vicinos. Qui enim longè abest, amicitiam alere non valet, nouerca enim amoris absentia est.

Bonauent. Hugo.

Deficiente homine calum dicitur desertum, ac cum ipso domus.

Euthym. Theophyl. Alb Maga. Beda. Haymon. Ioan. 15.

Matth. 18.

72.

Gregor.

Deus magis gaudet de hominis salute, quam ipse homo.

73.

Applicatur parabola.

Congratulamini mihi. Nota quod ait: Congratulamini mihi. Cur non potius ouis, quæ perierat, verus pastor salutem subditi proprium reputat bonum. S. Gregor. homil. 34. in Euangel. sic soluit dubium: Quia, ait, videlicet eius gaudium est vita nostra, & cum nos celis reducimus, solemniter letitia eius impleamus. Magis Deus de hominis salute, ac bono gaudet, quam homo ipse, qui salutem restituitur, & bonis locupletatur. Inueni. Non commemorat labores in comparanda oue perperos, sed præ gaudio illius inuentionis oblitus est omnis molestia, ouem meam, quæ perierat. Nonaginta nouem sibi saluas refert, sed de vna recepta gloriatur, eaque vna sibi videtur plausibilior. Dico vobis. Accommodat Christus extremum similitudinis proposito, à quo res est incepta, reliqua intelligenda relinquens, hocque argumento conuincit Pharisæos perperam murmurantes, dum vident Christum cum peccatoribus conuersari, ut eos conuertat, cum hoc negotium sit Deo, & Angelis gratissimum. Gaudium erit in celo. Idem valet, ac est, seu esse solet. Cum cælum nominat, terram non excludit, sed de cælo potissimum fit mentio, quia illic exclusa inuidia perfectum, ac plenum regnat gaudium; & quamuis non explicetur, in quibus futurum sit gaudium, tamen intelliguntur habitantes in celo, ut Deus, & Angeli, qui solum erant in celo, ante Christi Ascensionem. Super vno peccatore pœnitentiam agente. Vera, ac integra pœnitentia, & contritio, quam supra nonaginta nouem iustis. Ponitur numerus pro incerto respectu ad parabolam propositam, quomodo hoc intelligatur iam explicio questione sequenti.

QUESTIO X.

Quomodo intelligatur, quod maius gaudium est in celo de vno peccatore pœnitentiam agente, quam de nonaginta nouem iustis?

74. Gregorius citata homil. 34. explicat hæc verba de iustis tepidis, & de peccatore magno animi conatu pœnitentiam agente. Sic ait: Maius erit gaudium super vno peccatore pœnitente

74.

Gregor.

pœnitente

77.

pœnitentiam ardentem agente, bonisq; operibus insudante, quam super nonaginta nouem iustis, qui, ut ille ait, pigri remanent, ad exercenda bona opera. Similiter Beda, Haymon, Glossa, Maius gaudium est de peccatore resurgente in seruire, quam de iustis pigris stantibus. Quia securi sunt, quod in nulla grauiora mala inciderint. Rem similitudinibus illustant citati Patres: Maius, inquit D. Gregorius Dux in prælio plus illum militum diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert; quam eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertile messum produxit, &c.

Beda. Haymon. Glossa.

75.

Maius gaudium exoritur actualiter ex pœnitente, quam ex iusto.

August.

Bonauent. Barrool. Luc. Burg. Cornel.

76.

Luc. 15.

Deo aliquando charior pœnitens, quam innocens.

Tertull.

Secundò explicatur locus, quod ex conuersione, & pœnitentia peccatoris, noua quædam actualis, & præfens exoritur læticia, quæ actu non exoritur ex multis iustis, quibus nihil noui accidit; nouumque illud gaudium, quod actualiter superuenit ex peccatore conuerso, magis quid sensibile videtur, magisque re ipsa sentitur, quam vetus illud continuum, ac permanens de nonaginta nouem. Nam, ut ait D. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 3. res inuenta magis delectat, quam possessa. Solent enim homines de nouis, ac felicibus fortunis, magis lætari, ac exultari, quam de veteribus etiam maioris momenti. Deinde etiam quia illud gaudium animi de oue inuenta propter oppositam animi tristitiam de eadem mox perdita magis sentitur, quam illud, quod animo est inhærens; & fixum de cæteris simul omnibus, quod vitique habitu, ac permanentia in se maius est. Quis enim dubitabit, quod absolutè, & simpliciter magis gaudeat homo de nonaginta nouem ouibus, quam de vna, & Deus de nonaginta nouem iustis, quam de vno pœnitente. Ita D. Augustinus cit. D. Bonauent. & communiter recentiores Barrool. Luc. Burgens. Cornel. & alij: & hæc sententia est communior.

Postquam prodigus ille filius, à domo paterna peregrè profectus est, dissipauitque totam substantiam, ac rem suam cum meretricibus vitendo luxuriosè, cùmque reuersus esset ad patrem postulans ab eo, ut inter mercenarios recenseretur; inter brachia benignè eum excipit pater occurrens ei, datoque vestitu, ac calcamento, & annulo in manu cum multa festiuitate, ac læticia parat ei lautum conuiuium, quale nunquam filius primogenitus à parente obtinuerat, ut ipse patri dixit: Ecce tot annis seruius tibi, & nunquam mandatum tuum præterui, & nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer. Et postquam hic filius tuus, & c. venis. Occidisti illi vitulum sagmatum, Luc. 15. num. 29. Cur tot dona impenduntur prodigo reuerso, non vero filio, qui nunquam à domo paterna, ac eius obedientia recesserat, tantum sua vehementi, ac efficaci pœnitentia promeruit iunior filius, ut non solum adequaretur innocenti, sed etiam illi prælatus sit, plus enim lætitiæ contulit parenti vna vox filij. Pater peccauit in cælum, & coram te, quam perseuerantia, ac obedientia eius multorum annorum in domo, & quænam maior causa gaudendi, quam & quod recipiatur viuus, filius, qui mortuus putabatur. Elegerat Tertull. lib. de pœnit. cap. 8. Charitorem senserat, quem lucrificerat. Et rationem assignans effusæ benevolentia in filium redeuntem ait. Etsi nudus redieris; recipiet, quia redisti, magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur.

Syluceira in Euang. Tom. IV.

Ut Jacob benedictionem à parente Isaac obtineat; dat Rebecca dilecto filio suo consilium multis mysterijs plenum, dicens. Nunc fili mi, acquiesce consilijs meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur; quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi, priusquam moriatur. Genes. 27. n. 8. Cur Rebecca, ut filius præiucundum cibum offerat Patri, iussit duos hœdos afferri? Cur non potius duos agnos, ut Abel obtulit Deo? Vel cur non lactantem vitulum, quem sciebat, quod Socrer suus Abraham tanquam pretiosissimum escam Deo appouisset? Vel cur litrem non diuisit, agnum, & hœdum simul parauit? Quid sibi vult Iacobum ad patrem mitti duobus associatum hœdis, ut ei offerat escas, quibus libenter vescitur. Septuag. Escas patri tuo sicut amat. Pagn. Escas sicut dilexit. Ut benedictionem lucretur. Cognoscebat Rebecca magno spiritu illuminata Isaacum Deum significare, ut cõmuniter testantur Patres; Agnos etiam iustos, sicut hœdos peccatores denotare, ut est factis notum. Ut Deo offerretur gratissimum ferculum, eius voluntari, ac gustui valde delectabile, & sapidum, sicut ipse amat, ac diligit, non componendum, ac condiendum fuit ex agnis, sed ex hœdis, non est iustus, sed ex peccatoribus contritione, ac pœnitentia decoctis, ac preparatis; hæc est eius dulcissima, ac suauissima esca. Eucherius lib. 2. in Gen. In omnibus Scripturis, ait, hædi pro peccatoribus accipiuntur, carnes autem hœdorum, ex quibus Isaac preparatus est cibus, peccantium intelligenda est conuersio. Cum ergo Iacob hos hœdos secum fert, securus accedit ad patrem, ut ab eo omnem benedictionem, ac donum promereatur, & accipiat.

Gen. 27.

Septuaginta. Pagnin.

Oblatio ex pœnitentibus gratior Deo, quam ex iustis.

Euchir.

QUESTIO II.

Quare ex conuersione peccatoris, tanta sit ratio gaudendi, tam ipsi homini, quam Angelis, ac Deo?

78. CONVERSIO peccatoris magnum bonum est, ex ipsaque magnum resultat gaudium tam ipsi peccatori, quam Angelis, ac maxime, & potissimè ipsi Deo. Peccator enim per pœnitentiam à peccato transit ad iustitiam, à gehenna ad cælum, ab immundicia, ac nequitia ad puritatem, & sanctitatem. Vidit Ioannes supra montem Sion centum quædraginta quatuor millia habentes scriptum nomen Dei in frontibus suis, de eisque dicitur. In ore eorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei. Apocal. 14. num. 5. Merito dubitat D. Augustin. lib. 3. de sanctor. meritis cap. 7. Quomodo hi dicuntur sine macula, & sine peccato, cum nullus sit viuens ordinariè loquendo, absque aliqua nota peccati saltem leuis; vnde Scriptura ait, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et in illa tantorum turba, & si aliqui erant, qui aliquando graui peccato fuerant coinquinati; tamen per pœnitentiam eorum iniquitas sic mundata est, ut dicantur mundi sine macula, ac mendacio. Respondet ipse D. Aug. Dicitur, ait, non inuentum fuisse in eis mendacium, sed sine macula vixisse; quia mendacium, vel quodlibet aliud peccatum, si pœnitentia deletum est, iam non est, & sic non inuenitur. Et D. Thomas. Non est inuentum, ait, iam du-

Apocal. 14. August.

Peccatum per pœnitentiam sic deletur, ac se non fuisse. August.

dum ex quo ei adhaerunt, quia scilicet sic delectum est, & ideo non est inuentum

79.

Gaudet Angeli de salute nostra.

Secundò. Gaudet Angeli de conuersione, ac penitentia peccatoris. Primò quia Dei, quem summè amant, impletam vident voluntatem de hominis salute. Tertio. Quia per homines sanctos, & iustificatos reparatur eorum ruina, ac sedes in cælis, à quibus Lucifer cum suis cecidit. Quarto. Quia, vt ait Euth. Angeli erga homines benigni sunt: ac proinde maximè de eorù bono, ac salute gaudet.

80.

Apocal. 5.

Postquam Agnus aperuit librum, & signacula eius, ait Ioannes: Audiuì vocem Angelorum multorum in circuitu throni; dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui onisus est, accipere virtutem, diuinitatem, &c. Apocal. 5. num. 11. Decantant Angeli gloriam Agno, qui occisus est; sed cur non voce tenera, & suauis, sed magna, & alta; vox magna indicat ingentem animi affectum, ac ardorem; In sanctis autem Angelis ingens erat lætitia, & exultatio. ex hominum redemptione, ac restauratione, vt mirifice exultantes de eorum salute in magnas Dei laudes, ac iubilationes ingenti voce prorumperent. Ait Richardus Victorinus. Vox Angelorum laudantium magna esse dicitur, vt exultatio, & congratulatio eorum de saluatione generis humani, & laus ab eis impensa saluatori magna designetur. Et Pannonius. Hæc vox, inquit summa charitatis argumentum, qua nobis affecti sunt Angeli assequuntis gratis per Christum.

Salus hominis magna exultatio Angelis. Richardus.

81.

Euthym. Nostra penitentia Dei gaudium. Habac. 1.

Quintò. Gaudium est Deo, qui maximè diligit omnes homines tenere, & neminem vult perire, quod aperte indicat parabola, dum tam diligenter querit pastor vnam ouem aberrantem. Euthym. Id ostendit, ait, Deum vehementer scire cuiusuis peccatoris penitentiam. Indèque ipso penitente inuenit insigniter gaudet, & exultat. Tanquam per querimoniam ait Propheta Habacuc ad Deum. Usquequo vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis, cap. 1. num. 2. Postea verò cum magno amoris impetu loquitur ad Deum. Numquid non tu a principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur. Quomodo qui anxiebatur, ac dolebat à principio, nunc verò tanta suauitate verba profert? D. Hieron. Hæc autem loquitur, ait, blandiens, & penitentis affectu. Notandum tamen est, vt aduertunt Vatabl. Genebrardus, Hebræaque scholia, Prophetam hæc orasse cum cantico. Deus meus, sancte meus. Et addunt prædicta scholia: Sigmon, quæ vox inter varia sui significata gaudium significat, & vnde Propheta gaudium decantat, ac dicit Deo, ex ipso affectu penitentis, cum enim penitentia diuinis oculis præsentatur, inde gaudium celebrat Deo, sciebat enim quod vox cõtritionis sonora lyra sit Deo, luctusque penitentis cantus valde suauis.

Hieron.

82.

Cantic. 3.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula sumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Cantic. 3. n. 6. Risissent, imò irrisissent homines audientes pulchritudinem fumo comparatam. Quid est quod eximius decor sponse, quæ cum luna, rosa in Iericho, platano, lilio comparatur, quomodo verò nunc cum fumo combinatur, qui est quid triste, nigrum, & iniucundum. Perpende; non confertur anima sancta cum fumo tantum, sed cum virgula sumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Virga autem est aspera peccatorum castigatio per penitentiam, quam etiam denotat mirra, quæ valde amara est. Gillibertus Abbas sermone 15. in Cant. Quasi virgula sumi ex aromatibus, ait, & fumum logo de puteo abyssi prodeuntem. Apocal. 9. n. 2.

Gillibert.

Apocal. 9.

Sed non ibi virgulam, non aromata logo; in fumo abyssi non est virga, quia non est in inferno penitentia, nec salutaris peccatorum castigatio. Et D. Bernard. ferm. 59. Ascendit sicut virgula sumi. Sic ait. Ascendit anima penitens per desertum peccatorum suorum recordando. Ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Debent eam comitari myrrha, & thuris, id est, mortificatio carnis, & oratio cordis. Anima sancta, quæ per sui pulchritudinem oculos sponsi rapiebat, valde apposite virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris assimilatur, quia nil iucundius, ac pulchrius diuinis oculis apparet, quam anima contrita, & dolens castigata virga penitentia, mortificatæque dolore suorum peccatorum. In ipsaque penitentia virga, germinant omnes flores horum, ac poma Libani, quibus sponsa præ sui decore comparatur.

Bernard.

Nil iucundius Deo quam anima penitens.

Luc. 15. n. 8. Aut quæ mulier habens drachmas decem: si perdidit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & querit diligenter, donec inueniat?

VERSIONES.

Tertull. lib. ad. Si perdat vnam ex decem uers. Hæret. de drachmis anus illa

cap. 10. Arabicus.

Quænam est mulier, cui sint decem drachmæ, si perdat vnam ex eis, nonne accendit lucernam, & mundat domum.

Syriacus.

Quæ non accendat lucernam, & scopet domum, quærâtque sibi accuratissimè, vsquequo inuenierit eam.

Euth. Vatabl. Verrit domum, quærîtque diligenter.

EXPOSITIO VIII.

D idem hæc parabola, vt notant D. Cyrillus & communiter omnes Patres, pertinet quod superior, quantam diligentiam solet adhibere, vt peccatores conuertantur, ac reducantur ad viam salutis, multamque doctrinam Christus interponi, vt Phariseorum murmurationem comprimat, quo enim malitia humana magis crescit, & augetur, eo diuina misericordia effusus abundat, altiusque docet. Aut quæ mulier habens drachmas decem. Mulier habens drachmas decem, vnam amisit, quæsiuit, cum magno gaudio reperit; similiter Deus hominem mortali peccato in quinquatum amittit, diligenter ex sua magna charitate quærît, cum magno gaudio inuenit. Mulier denotat Dei sapientiam, quæ dicitur mulier, vt ait D. Bonau. ex affectu pietatis, & misericordiae, sicut multis in aliis locis. Ego mater pulchra dilectionis. Ecclesiast. 24. num. 24. à Tertullian. appellatur hæc mulier anus, quia Deus quamuis sit valde diues in maiestate sua, tamen sine homine pauperem se existimabat. Drachma denarius est, siue regalis nummus hispanicus. Verrit domum: id est totum mundum, vt explicant Thaphylact.

83. Cyril.

Quo maior est nostra iniquitas, maior est diuina assistentia.

Bonauent.

Ecclesi. 24.

Hugo,

Hugo, & alij; & rectè totus mundus dicitur in ordine ad Deum domus, quia sic de illo habetur curam, & prouidentiam, vt mulier sollicita de domo sua, sicque de Christo Domino, regnabit in domo Iacob, Luc. 1. num. 32. vt ibi explicauit.

Luc. 1.

84. Gregor.

Vera parabola explicatio.

Cyrillus. Nyssen. Nazianz. August. Glossa. Theophyl. Euthym. Beda. Bonauent. Chrysol. Altera eius explanatio.

Tota hæc parabola, rectè explicatur à D. Gregorio homil. 34. Deum, ait, decem drachmas habuisse, id est nouem choros Angelorum, & decimam genus humanum, drachmis autem significantur: quia quemadmodum drachma imagine regis, ita Angeli, & homines imagine Dei condecorantur. Drachma autem amissa est, id est humanum genus. Lucernam mulier accendit ad querendam drachmam perditam. Lucernam quoque diuina accendit sapientia, cum Verbum caro factum est, ad querendum hominem amissum. Hæc citatus D. Gregorius. Idem similiter docent D. Cyrillus, D. Nyssen apud D. Thom. D. Nazianzenus orat. 2. de Pasch. D. Augustinus lib. 2. quæst. Euangel. cap. 33. Glossa, Theophylact. Euthym. Beda, D. Bonauent. & alij. Non omittam aduertere quod aliter D. Chrysologus ferm. 149. prædictam parabolam explicat. Mulier, inquit, id est Ecclesia, accendit lucernam suam, id est internum illum sui cordis obtutum: hoc est illuminatos, vt inquit Apostolus, oculos cordis vestri. Accendit ergo lucernam suam, & illam Iudaicam domum ignorantie cecam tenebris euertit Apostolicum post laborem, donec iam de decem drachmis, hoc est decalogo legis drachmam perditam reperiret in Christo. Christus est plenum Deitatis numisma, Christus est drachma nostra redemptionis, & pretij.

QUESTIO XII.

Quare mulier deperditam drachmam quærît in domo sua, & non extra?

85. Tertullian.

Non est huius temporis omni peccato carere.

86. Tertull.

Christus solus in Ecclesia, & non extra inuenitur.

NOTANDUM est cum Tertulliano lib. de pudicitia, qui ait: Luxta drachmæ exemplum, etiam intra domum Dei Ecclesiam licet esse aliqua delicta pro ipsius drachmæ modulo, ac proinde media, que ibidem delitescunt, mox ibidem, & reperita statim ibidem cum gaudio emendationis transguntur. Mulier perdidit drachmam, non tamen ideo reicitur à Domino, ac damnatur, sed potius laudatur, quod accensa lucerna perditam diligenter inquirat, ac recuperet, non enim est huius temporis omnino peccatis carere, sed vera sanctitas ibi est, vbi & si peccata dentur, inuenitur tamen eorum emendatio, ac felix recuperatio.

Ad quæstionem respondet primò Tertullianus lib. aduers. Hæretic. cap. 12. vbi à quibus quærendus sit Christus interrogat. Non apud Hæreticos, ait, vbi omnia extranea, & aduersaria nostræ veritati, ad quos vtamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? quis miles ab infederatis, ne dicam ab hostibus regibus, donatiuum, & stipendium caprat; nisi planè deserter, & transfuga, & rebellis? etenim anus illa intra rectum suum drachmam requirebat. Prudens femina vt inueniret perditam drachmam intra domum suam se continet, & extra non egreditur. Anima, quæ Christum, eiusque gratiam perdidit intra Ecclesia Apostolica, ac Romana septa sit præfixa, ibi eius gratiam quærat, ibi enim solum Christum inuenire potest, ibique solum de eo in Syluestro in Euang. Tom. 1. V.

uento gaudere, cum solum in Ecclesia sit Christus, & non extra apud infidos, & hæreticos. Quis seruus ab extraneo, &c.

Secundò. Origenes homil. in Genes. Mulier illa, ait, quæ perdidit drachmam, non illam inuenit extrinsecus, sed in domo sua. Tu ergo si accendis lucernam, si adhibeas tibi illuminationem Spiritus sancti, & in lumine eius videas lumen, inuenies intra te drachmam, intra te est collocata imago regis cælestis. Cum enim faceres Deum hominem ab initio, ad imaginem, & similitudinem fecisti eum, & hanc imaginem non extrinsecus, sed intra eum collocasti. Perdidit anima imaginem hominis cælestis, non quærat eam in rebus extrinsecis, & temporalibus, sed velut hæc mulier accendit lucernam, verrit domum multa dispositione, ac præparatione accedat ad Deum, vt à diuino Spiritu illuminetur, abiciat, ac euerat à se imaginem hominis terreni, ac illius desideria, vt inueniat imaginem hominis cælestis.

87. Origenes.

Abiciat homo terrenum, vt inueniat imaginem hominis cælestis.

Tertio. D. Ambrosius in Comment. ad cap. 3. 1. Exod. Non est, ait, drachma denarius, sed diuersus est; in denario imago Cesaris est, in drachma imago Dei. In denario cum esset depicta imago Cesaris bona temporalia indicantur; in drachma verò cum esset imago Dei, bona spiritalia designantur. Nobilis matrona non exquirat diligenter denarium, sed drachmam, non enim suam sollicitudinem impendit pro terrenis, sed solum pro cælestibus comparandis, proculque est à fastu hominum temporalium, qui denarium quærunt, vt sæculi bona congregent. Obsequium præstitum à Magdalena Christo obmurmurat impius proditor dicens: Posses vendidisti istud, plusquam trecentis denariis, Marc. 14. num. 5. Præclare in eum inuehitur D. Paulinus epistol. 4. Suo, ait, ipsius dammandus iudicio, quo tringenta aureis vendidit eum, quem mulier, vt ipse taxauerat vixit trecentis, sed in hoc peruersus, quod ipsi vili æstimans Dominum, unguentum illud carius æstimauit. Scitissimus proditor suo ore se ipsum condemnat; pia femina tantum æstimabat cælestia, vt plusquam trecentos denarios expendat, vt obsequium exhiberet Christo; proditor autem tanto affectu ad terrena ferebatur, vt Dominum Iesum pro triginta argenteis vendiderit.

88. Ambros.

Spiritalia bona quærenda, non verò temporalia.

Marc. 14.

Paulin.

89.

Quartò. Mulier quærît drachmam intra rectum suum, cur non foras exit, vt quærat; Bonus enim pastor, relinquit oues in deserto, & per montes, valles, ac campos inuestigat ouem aberrantem. Cur etiam mulier per vias, ac plateas drachmam non quærît. Et si pastor ad loca publica se conferat, tamen bona femina extra domum suam pecuniam non indagat; certa enim erat, quod foris non amiserat, cum semper domi se contineret, & per communes plateas non vagaretur. Mandat Deus Moyse, vt cum populus egrediretur de Ægypto: Postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea, Exod. 11. num. 2. Cur non petet mulier ab amica, sicut & vir ab amico fieri poterat, vt esset in loco distanti. Diuina autem dispositio hæc est, vt homo longè exeat à domo ad amicum suum in longinquo existentem; mulier autem à domo non recedat, sed inter illius fines se contineat, & idè non ad amicam, sed ad vicinam mandatur. De quo plura in hoc tom. verb. Mulier, in Indice, & tom. 1. 2. & 3.

Mulier non vagetur per loca publica.

Exod. 11.